



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XIII. De duodecim viris, qui iurauerant contra ius in altare Martyris,
multiplici pœna consumptis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

XIII.

Magnalia DEI vehementer sunt consideranda, & Sanctorum ira seu patientia nimis timenda. His etenim patrocinantibus clemens nobis erit altichronus, offensis vero & spretis, per longum aut breue, non stabit inultum & leue. Quod apud S. Emmerammum sub MICHAELE Episcopo factis probatum seniores retulerunt nobis, qui memorabantur illius temporis. Is ergo pro rebus martyris defensoribus assumptis, cum PERCHTOLDO Marchione conflictum habuit magnū. Cumque diu certatum esset utrinque, tandem in id partium paria conuenerunt, ut duodecim virorum nobilium iuramento, quod exigebat prefectus tolleret B. Emmerammo. Super cuius altare CAMBOTA ipsi posita, homines numeri prescripti accedentes iurauerunt. Sed ultione diuina percussus grande secum recedentes malum portauerunt. Cuius talione saumatizatus ex patre auus meus ARNOLDVS eodem momento, dextro debilitatus brachio, post paucos annos in flumine NABA solus, comitatu salvo, subita morte vitam finiuit. Caeteri vero, qui coniurauerant quid perpassi sint, breuiter tangam. Alius atque caecatus, alius strangulatus, alius insensatus, alius paralyti solutus, alius euisceratus, alius fulmine ustulatus, alius incendio propriae domus consumptus, alius mancus & monophthalmus, alius cancri morbo percussus, alius elephantiae peste foedatus, alius hydropica inflatione grauatus, miseram vitam misera morte finierunt. Vnde meus ex matre auus prenominatus scilicet Comes PERCHTOLDVS terrificam commotionem tactus, B. Emmerammo praedium suburbanum, quod dicitur Isininga, pro venerabilem pij Abbatis RAMVOLDI ordinationem donauit, illius ascribens obsequium, duodecies dandum charitatiuo vsui monachorum, nec non refectiohi duodenariae Christi elemosynariorum, Tu autem sanctissime martyr Emmeram-

*Perchtoldus
Marchio.*

*Arnoldus
auus auctoris
Naba flum.*

*Perchtoldus
Comes aucto-
ri auus ma-
ternus.*

H me

me duodenario miraculo clarificate, pro nobis peccatoribus, hactenus abusus duodecim inreligiositatibus, preces largas funde coram illo, qui hunc numerum Apostolico dedicauerat choro. *XIV.*

Ephes. 2.

Cum hoc certissimum habeat Christiana fides, quia hi, qui in nomine domini largi sunt in pauperes, in DEVM dici debeant ac sint per omnia diuites; & quia ipse diues est in omnes vniuersisq; ad sufficientiam tribuere potest, tamen ne desint in mundo, in quib⁹ fragilitas humana sua possit redimere peccata, suis membris in minimis quotidie sustinet onus paupertatis. Quibus id leuandi gratia, percurstantibus fidelium domus & hospitia, adeo quorundam parcitas obduratur & nequitia, vt præ famis ac frigoris angustia, incidere cogatur amare mortis gurgustia. Quæ, conditione sub hac, quò plures miserabiliter absumat, multitudo falsorum fratrum violenter sententiam dicitur. Hi siquidè non spiritu humiles, sed reb⁹ & vitiis pauperes, per clandestinas ac euidentes rapinas Christi præpediunt pauperibus, ne solatia accipiant, aliquando etiam à bonis fidelibus, à quib⁹ boni pauperes & mali, haud facile queunt discerni. Hi vt filij diaboli cum peruersis ac sceleratis fœderati partim exercent atrocina in siluis & villis nimis crudelia, partim per loca sacraria, moliuntur quæ penitus nefaria. Quidam verò, qui inter eos videntur quasi sanctiores, Ecclesias per hypocrysim frequentantes, ac sacrilegis ibi lucellis inhiantes, velint nolint euoluunt in publicum, quam vacui sint diuitiarum verarum. Quid plura? Locis in sanctis ipsi non sine miraculo sæpe vidimus deprehensos, quorum furta seu cætera flagitia hoc satis declarabant, quod non in spiritu & veritate veri aduenerint adoratores, sed falsarij seu deceptorij adulatores. Horum alij misericordia donati, & sic sunt in spi-

Iohan. 4.